

Oraculum Pythium.

Apollinem Pythium cum credere nemo possit mendosis hexametris allocutum esse homines, versum illum notissimum ferendum non esse appareret qualis traditur his verbis:

ἄ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν κτλ.

Bergkius, qui quo iure doricas formas servaverit totumque oraculum rettulerit ad Tyrtaeum (frgm. 3, 1), hic quidem nihil ad rem, hiatus tollere studuit coniectura dubitanter proposita: *ἄλλο δέ κ' οὐδέν*. Sed hoc desperantis est de emendatione. Mihi scribendum videtur:

ἄ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλ' ὀλεῖ οὐδέν.

Quis enim non videat cum nihil fere discriminis intercedere inter **ΑΛΛΟΛΕ** et **ΑΛΛΟΔΕ**, in quo antiquis ε̄ esset pro ει, tum repetitum illud ὀλεῖ oraculi sollemnitati concinnaeque gravitati apprime convenire?

Scr. Gissae pridie Kal. Ian. a. 1872. Guil. Clemm.
